

Romam miserunt, URBANI Bullam recipere nolentes et eam subreptitiam praetextentes. Neque a tricis in hoc commate faciendis etiam hoc seculo desisterunt quidam, ut ex historia controversiarum de divinæ gratiæ auxiliis Auctore Eleutherio seu Livino de Mayer patet.

210. Nota II. Styli Romani esse, ut duo singularum Pontificiarum Bullarum manuscripta Romæ fiant: alterum autographum interpunktis et comatibus distinctum, quod in Archiviis S. Officii deponitur: alterum continua serie, nullo commate adjecto, scriptum, quod in Regesto Summi Pontificis notatur, ex quo et secundum fidem Regesti, ac proinde sine punctis, describuntur exemplaria Bullarum, quæ conceduntur aut ad Provincias mittuntur, nisi aliter expresse mandetur. Porro Bullæ Pianæ quinque extant exemplaria celebriora.

Primum sine punctis juxta morem proxime memoratum habuit Morillonius an. 1567. Secundum commissum est an. 1580. Toleti, ob item de commate a Baio jam motam interpunktis distinctum. Neutrum tamen transumi aut exscribi a Lovaniensibus permiserunt vel Morillonius vel Toletus. Tertium ad interventionem Toleti GREGORIUS XIII. concessit Baio eodem adhuc an. 1580; sed quod nullo commate distinctum fuisse, patet ex ejus editione per Facultatem Lovaniensem curata, et confessione Baianorum, præcipue Macarii Havermanns. Quartum fuit Roma an. 1642. cum interunctionibus excusum, in quo comma post verba *sustineri possent*, omittitur. Sed error hic ex incuria typographi ortus ille est, de quo loquitur URBANUS VIII. in Brevi ad Archiepiscopum Mechliniensem, et hinc illius jussu restitutum fuit comma in editione Coloniensi. Quintum est Roma an. 1644. eodem URBANO jubente editum, et a sacra Congregatione Sinnichio traditum et consignatum cum mandato Apostolico, ut huic exemplari fides adhiberetur. In hoc legitur comma post voces *sustineri possent*. Ex his

211. Dico I. Ipso facto famosum *comma* in Bulla Piana additum fuit post voces *sustineri possent*; adeoque nulla *Baii* propositio in proprio verborum sensu ab assertoribus intento sustineri potest.

Prob. I. Ex exemplari Toleti, quod teste Ripalda Romæ impressum habet genuinum comma, dividens verba illa Bullæ: *aliquo pacto sustineri possent* a sequentibus: *in rigore et proprio verborum sensu ab assertoribus intento*.

II. Exemplari Romano jussu URBANI an. 1644. impresso, et authenticè consignato, ubi idem commati locus datus perspicitur.

III. Ex ipso Pii V. Autographo in Archiviis S. Officii custodito, in quo idem comma et eodem loco vidisse se an. 1644. die 2. Octobr. testatur Cardinalis de Lugo.

Nec obstat 1º. Quod Granvellanus in' epist. die 13. Nov. 1567. ad Morillonum scripta dicat, Baianarum propositionum alias, tametsi *in rigore aliquo sensu exponi possint*, ut excusentur, pios tamen lectores offendere.

R. Evidem possunt aliquæ propositiones in rigore sensu aliquo exponi, ut excusentur, qualis est v. g. illa ss. Deus non potuisset ab initio talem creare hominem, qualis nunc nascitur: si enim quispiam hanc addat expositionem, id est, cum peccato originis; fatebuntur omnes, propositionem sic expositam habere sensum Catholicum. Sicut vero hunc sensum damnare

nunquam PONTIFEX intendit, sic etiam sensus is Baii vel assertoris Baiani, non fuit. Unde patet, qua ratione dixerit Granvellanus alias propositiones *in rigore sensu aliquo exponi posse*, ut excusentur; nempe sensu *peregrino* et *alieno*, non vero ab assertoribus intento.

Nec obstat 2º. Quod Morillonius in ep. die 20. Jun. an. 1569. ad Granvelianum data narret, quod *Baio* tergiversante, causanteque in Diplomate Pontificio scriptum esse, nonnullas propositiones defendi posse in proprio verborum sensu, ipse nihil reposuerit; unde inferunt *silentio suo* assensisse exceptioni Morillonium.

R. Silentium hoc alii melius tribuunt Morillonii prudentiae, ob timorem schismatis, et, ne exulceratus *Baii* animus irritaretur acerbus, ad tempus connivensis; præsertim cum ex Bullæ exemplari sibi transmisso, utpote nullis interunctionibus distincto, *Baium* manifeste convincere non posset. Unde satis habuit Morillonius, adigere *Baium* ad ejurandas propositiones *juxta decretum, censuram et mentem Sanctitatis suæ*; quod et a *Baio* præstatum Morillonius ibidem scribit. Ceterum hæc objecta vim non habent post damnationem URBANI et sensum Bullæ Pianæ clare distinctum.

212. Dico II. Jure etiam famosum *comma* post memoratas voces in Bulla Piana additum fuit.

Prob. I. Quia illa verba: *Quanquam nonnullæ aliquo pacto sustineri possent*, per illa adversativa *aliquo pacto* opponi debent sequentibus: *in rigore et proprio verborum sensu*; cum alia non sint, quibus opponantur.

II. Quia si in rigore et proprio verborum sensu ab assertoribus intento aliquæ sententiae *Baii* sustineri possent, immerito Pontifex eas damnasset; cum nulla fere sit Catholica sententia, quæ in sensu improprio et ab assertoribus extorto damnabilis non sit.

III. Quia hac expositione admissa nulla *Baii* propositio foret, quam non liceret impune defendere; cum nulla in Bulla definiatur determinate, quæ in rigore et proprio verborum sensu sustineri non possit. Ad quid ergo et damnatio Pontifícia, et particula exceptiva *nonnullæ*? Hinc vero constat vanitas illius asserti, quod ob duplēm interunctionem, alteram post vocem *possent*, alteram post vocem *intento* in Bulla additam, adhuc sensus maneat obscurus.

ARTICULUS V.

QUÆNAM SIT JANSENISMU HISTORIA, QUOD SYSTEMA, QUÆ IN ILLUM LATA SENTENTIA?

213. Nota I. Causa Baiana finita videri poterat rescriptis Roma Pontificium sententis; sed error finitus non fuit, multis adhuc in Belgio et Gallia *Baii* discipulis aut sectatoribus relictis. Hos inter fuit Cornelius Jansenius, alius ab ejusdem etiam pronominis Jansenio, Gandavensi Episcopo, Hulstii in Flandria nato, et Commentarii in concordiam ac totam historiam Evangelicam auctore optime Catholicó. Is natione Batavus, natus est anno 1583. loco exiguo, Accoy dicto, in territorio Leerdamensi. Ultrajecti humanioribus litteris exultus, Lovani Philosophae ac Theologiae operam dedit, magistro usus Jacobo Jansonio. An. 1604. Parisios abiens, exceptus est a Joanne du

Verger de Haurane, famoso Abate *San-Cyrano*, in cuius amicitiam Lovani jam se insinuaverat.

Hujus commendatione per aliquod tempus ibidem filiorum Consiliarii Regii Parisiensis moderatorem domesticum egit : inde Baionam cum eodem decedens, Collegioque principali recens erecto Director datus, una cum illo in novum systema circa gratiam adumbrandum per annos duodecim incepit. Lovanium an. 1617. reversus Doctorali laurea donatur, Collegio S. Pulcheriae præficitur, a Philippo III. Hispaniarum Rege etiam an. 1630. S. Litterarum professor renuntiatur. Interea temporis ter legatione in Hispanias ad Regem nomine Academiae perfunctus, occasione libri, quem *Martem gallicum* inscripsit, a se editi ad infulas Iprenses an. 1633. promotus, tertio ab inauguratione anno, die scilicet 6. Maii an. 1638. lue, quæ Ipras invaserat, extinguitur.

Ut vita ejus synopsis testatur, prædictus erat ingenio acerrimo, judicio gravissimo, memoria capacissima, in rebus semel susceptis magnanimus, in pervolvendis S. AUGUSTINI operibus assiduus, cuius libros universos decies; illos vero, quibus Pelagiana hæresis confutatur, facile trigesies perlegisse memoratur. Abbas autem a S. Germano familiariter Jansenio usus hanc illi notam figit : *Sancte dicere possum et coram Deo, me non vidisse hominem magis superbum, qui se unum ita aestimaret, reliquos omnes contemneret.*

214. *Nota II.* Præter alia ejus scripta famosum est opus, cui titulus præfigitur : *Cornelii Jansenii Episcopi Iprensis Augustinus.* Volumen est grandius in tres tomos distinctum : 1^{us}. complectitur libros octo de hæresi Pelagiana : 2^{us}. librum unum de ratione et auctoritate in rebus Theologicis; unum de gratia primi hominis et angelorum; libros quatuor de statu naturæ lapsæ; libros tres de statu naturæ puræ : 3^{us}. in duas partes distribuitur : in prima continentur libri decem de gratia Christi Salvatoris, qui sunt finis et scopus totius operis ; in altera unicus continetur liber, quem vocat Parallelum erroris Massiliensem et opinionis quorumdam Recentiorum. Operis hujus prima rudimenta formavit *Jansenius* Baionæ, elaboravit Lovanii, absolvit Ipris, postquam viginti annos in eo efformando posuisset : edendi vero curam commisit Capellano suo Reginaldo Lamæo, re prius communicanda cum Liberto Fromondo et Henrico Caleno.

Cunctos suos libros, et hoc præsertim opus non tantum in libro proemiali et epilogo protestatus est se submittere Apostolicæ Sedis judicio, sed et testamentum suum vix media hora ante mortem dictatum his verbis concludit : *Sentio aliquid (in dicto opere) difficuler mutari posse. Si tamen Romana Sedes aliquid mutari velit, sum obediens filius, et illius Ecclesiæ, in qua semper vici, usque ad hunc lectum mortis obediens sum. Ita mea suprema voluntas est.* Unde nec *Jansenius*, sicut nec olim *Baius*, dici hæreticus potest, licet ejus liber post mortem sit damnatus : et *Jansenii* sectatores habent obedientiæ exemplum, quod a magistro suo discant et imitentur.

215. *Dico I.* Historica Jansenismi synopsis ex sequentibus epochis com mode perspici et teneri potest.

Epocha I. Ut primum *Augustinus Jansenii* an. 1640. typis Lovaniensibus

fuit editus, ingentes in Belgio motus excitari coeperunt, *Calvinistis* quidem quasi triumphum agentibus ob errorem suum de libero arbitrio et gratia novo hujus libri systemate confirmatum; Catholicis autem pluribus atque e Societate nostra theses publicas contra nova dogmata opponentibus, Jansenii e contrario sequacibus pro libro ejusque doctrina defensionem suscipientibus. Rumore ejusmodi suscitatus URBANUS VIII, cum novi hujus operis editione fervente singula folia recens impressa Romam ad examen jam missa fuerant, 4. Maii 1641. solemnni Constitutione, que incipit : *In eminenti, librum proscriptis, eo quod in eo multæ ex propositionibus, nempe Baianis, damnatis continerentur.*

Hujus vim declinaturi *Jansenii* sectarii, evulgare coeperunt Bullam esse subreptitiam, et Jesuitarum fœtum, qui ad doctrinam Molinæ tuendam fraude Pontificem circumvenerint. Hoc subterfugium præclusurus Pontifex, ad Belgii Gubernatorem, Archiepiscopos ac Universitates datis an. 1643. litteris, ursit debitam Bullæ obedientiam; an. 1644. autem Joanni Sinnichio et Cornelio Pape Lovan. Doctoribus Romam missis exemplar illud Pianæ Bullæ, de quo supra dictum, tradi curavit, et formulam, cui Lovanienses subscriberent, transmisit.

His tamen, et tum Regis Catholici imperio, tum Universitatis Parisiensis censura septem Jansenii propositionum, quæ præter *quinque famosas propositiones* ad aliam materiam spectabant, non obstantibus, virus serpebat in dies in Belgio quidem latius, et in Gallias etiam diffundebatur. Unde an. 1649. oblate Facultati sacræ Parisiensi sunt propositiones quedam damnandæ : ab hac vero cognitione causæ ad Episcoporum judicium perlata, horum octoginta quinque an. 1650. ad INNOCENTIUM X. direxerunt epistolam, in qua *Jansenii* quinque propositiones famosas denuntiarunt, solemnem de illis sententiam Apostolice Sedis rogantes.

Epocha II. Postulationis gravitate permotus PONTIFEX instituit Congregationem selectorum quinque Cardinalium et tredecim Consultorum, qui has propositiones, ad quas præcipua libri Janseniani doctrina revocatur, per duos et amplius annos habitis triginta sex congregationibus, quarum decadi postremæ INNOCENTIUS ipse præsedidit, accurate examinarunt, admissis etiam ad causam propositionum defendendam Ludovico de Saint Amour, et aliis Jansenii sectatoribus. Completo examine, Pontifex definitivam in propositiones sententiam censuramque tulit, edita 31. Maii an. 1653. solemnni Constitutione, cujus initium est : *Cum occasione impressionis libri.*

Eam Galliæ Episcopi cum gratiarum actione suscepserunt, Rex Christianissimus Edicto publico servandam imperavit, et orbis fere universus unanimi consensu acceptavit, solis *Jansenistis* varios cavillos sue obstinationi et inobedientiæ prætextibus. Causabantur enim 1^o. propositiones has in libro *Jansenii* non contineri : 2^o. in sensu *Jansenii* non fuisse condemnatas : in cuius confirmationem addebant 3^o. Pontificem quidem in quæstione *juris*, an scilicet aliqua propositio sit hæretica, posse dici infallibilem ; sed in quæstione *facti* : an scilicet propositiones illæ damnatae sint in sensu ab auctore intento, non esse adeo infallibilem, quin de ejus definitione dubitari prudenter queat ; sed ad summum reverenti silentio obedientium, servata libertate aliter interius sentiendi.

Epocha III. Novis his Jansenianorum molitionibus occursum, Galli Anti-

sites in Comitiis an. 1654, utrique subterfugio contrarium decreverunt. Facultas Parisiensis eadem adhuc et aliam de gratia, quae justo ad vincendam tentationem sufficeret, deficiente docere ausum *Antonium Arnaldum* gravicensoria an. 1653. perstrinxit, et pertinacem e numero Doctorum expunxit. INNOCENTIUS X. Brevi an. 1654. dato, et ALEXANDER VII. Constitutione 16. Octobr. an. 1656. quae incipit: *Ad Sanctam B. Petri Sedem*, edita declararunt ac definierunt, *quinque propositiones ex libro Cornelii Jansenii excerptas, ac in sensu ab eodem Cornelio intento damnatas fuisse.*

Ad cuius definitionis ampliorem fructum habendum, et Jansenistas detegendos, praecountibus rursus et potentibus Galliae Episcopis, idem ALEXANDER an. 1664. die 13. Febr. Constitutionem edidit, quae incipit: *Regiminis Apostolici*, et qua formularum fidei ab omnibus posthac præstandæ præscripsit, cujus hic erat tenor: *Ego N. Constitutioni Apostolicae Innocentii X. date die 31. Maii 1653. et Constitutioni Alexandri VII. date die 16. Octobris 1656. Summorum Pontificum me subjicio: et quinque propositiones ex Cornelii Jansenii libro, cui nomen AUGUSTINUS, excerptas, et in sensu ab eodem Auctore intento, prout illas per dictas Constitutiones Sedes Apostolica damnavit, sincero animo rejicio ac damno et ita jurô: sic me Deus adjuvet, et hæc Sancta Dei Evangelia.*

Epocha IV. Cum Pontificie Constitutioni Regia etiam auctoritas in Galliis accederet, gravissimis in refractarios statutis poenis, scissa est in partes factio Janseniana. *Rigidiores* enim negabant ejusmodi formulæ subscribi posse, et ad evadendas poenas hinc sibi imminentes in Hollandiam secesserunt: *Moliores* perjurium subscrivendo formulæ non timuerunt; in quam rem varia effugia excogitaverunt, ut, sensu Jansenii mente retento, verbis tamen et calamis ejus propositiones abjurare possent.

Inter Galliæ Episcopos autem, qui et formulae subscrivserant, et a suis subscribi curabant, soli quatuor, nempe *Alectanus*, *Bellovacensis*, *Andegavensis*, et *Apamensis* in suis pro subscriptione formularii mandatis factum a jure sic distinxerunt, ut assererent, quæstioni *juris* internum fidei assensum deberi; pro *facto* autem, quo damnatae propositiones libro Jansenii tribuuntur, solam exigi posse silentii reverentiam. Hæc Episcoporum decreta die 20. Julii ejusdem anni rescidit Rex Christianissimus, et contra dictos Episcopos Romæ causa judicialis parabatur; sed orta primum contentione de numero judicum, secundum Galliæ jura in causis contra Episcopos reuictorum, que triennio agitata fuit, res hæsit suspensa: deinde autem interventu mediatorum Archiepiscopi *Senonensis*, Episcopi *Catalaunensis*, ac maxime Episcopi *Laudunensis*, Cæsaris d'Estrées, postea Cardinalis, eo perducta est, ut, omissa ac insufficiente *judicati priori subscriptione*, nova præstaretur et imperaretur a quatuor Episcopis, *qua sine ulla restrictione quinque propositiones in sensu Jansenii damnarentur.*

Quod cum ab illis præstitum fuisse Romanum significatum fuit, CLEMENS IX. datus ALEXANDRO demortuo successor, eisdem benevolentiam et pacem restituit an. 1669. die 19. Januar., quia didicisset, inquit, ipsos tandem meliora consilia secutos, *juxta præscriptum Litterarum Apostolicarum..... sincere subscriptisse et subscribi fecisse formulario.*

Epocha V. Unde extincta videbatur controversia, inde acerbius recruduit in Galliis. Hanc enim Episcoporum reconciliationem *Jansenianam* in suas partes

deterquere conati sunt, passim asserendo, in nova horum quatuor subscriptione, prout in *actis verbalibus* Synodorum Diocesanarum continebatur, insertam fuisse distinctionem facti a jure et limitationem de religioso silentio; hinc autem concludendo, rescissam a CLEMENTE IX. fuisse legem de intimo, puro ac simplici subscriptis obsequio et consensu præstanto, et approbatum sufficere religiosum silentium; cum hic Pontifex illis Episcopis, suas subscriptiones ad *religiosum silentium* limitantibus, pacem dederit.

Ad hos ac alios similes cavillos in Belgio præcludendos, cum Episcopis ibidem an. 1692. visum fuisse addere *formula Alexandrina*, de hac autem additione Libertus Hennebel nonnullorum Lovaniensium nomine querelas ad INNOCENTIUM XII. P. M. detulisset; Pontifex, dato an. 1694. ad Belgas Brevi, imposuit omnibus silentium de interpretatione formularii, et ipsarum etiam propositionum Jansenii, quas *in sensu obvio, quem verba ipsa præseferunt*, damnandas decernit; unde jam rursus reformatam ALEXANDRI VII. Bullam clamaverunt Janseniani, quia INNOC. XII. omisso illa quæstione: an sensus obvius sit a Jansenio intentus, contentus fuit, si in obvio sensu propositiones damnarentur. Sed postremam cavillationem dissipavit non multo post idem INNOCENTIUS, misso in Belgium an. 1696. Apostolico Brevi: utramque penitus sustulit CLEMENS XI. Bulla an. 1703. edita, de qua proxime.

Epocha VI. Hactenus Janseniani pro suis erroribus ac effugiis pugnabant editis libellis plurimis quasi singuli; sub finem vero seculi prioris res accedit, quæ eorum plures una in publicum educeret. Prodiit enim tunc libellus quidam auctore Anonymo sub inscriptione: *Casus conscientiae*. In eo Clericus inducit, cui sacramentalis absolutio negata fuerat, ex eo quod declarasset se quidem revera quinque propositiones simpliciter et absolute damnare quoad *jus*, seu doctrinam in iis expressam; nihilominus quantum ad quæstionem *facti*, seu attributionem illarum libro Jansenii, existimare se, sufficere religiosum silentium. *Casu hoc conscientiae* pluribus Doctoribus Parisiensibus proposito, corum quadraginta, resolutione 20. Jul. an. 1701. facta, responderunt, illi Clerico, sic de *Jansenii* libro sentienti, absolutionem denegandam non fuisse.

Decisio hæc evulgata motus magnos concitat, plurimis contra eam pugnantibus, Doctoribus autem, qui hæc definiverant, ob sententiam suam typis datam commotis, et vario nomine *reverentiale silentium* excusare conantibus. Re Romam delata, resolutionem Brevibus tribus CLEMENS XI. sub initium an. 1703. damnavit, quod idem Card. de Noailles Archiep. Paris. et præstitit, et effecit, ut Doctores omnes illi quadraginta, revocata priori sua sententia, resipuerint, uno excepto, qui ob contumaciam suam ex albo Doctorum fuit expunctus.

Denique ad sedandas aliquando controversias omnes, rogatus a Christiannissimo et Catholicis Regibus Pontifex CLEMENS XI. Constitutionem solemnam, quæ incipit: *Vineam Domini*, die 16. Jul. an. 1703. edidit, qua, postquam Constitutiones INNOCENTII X. et ALEXANDRI VII. confirmasset ac renovasset, Brevia CLEMENTIS IX. et INNOCENTII XII. a pravis Jansenianorum exceptionibus vindicasset, doctrinam in *Casu conscientiae* expressam variis notis severe perstrinxit et damnavit. Hac porro Constitutione ab universa Ecclesia acceptata, et a Clero etiam Gallico in generalibus Comitiis an. 1703. habitis

solemniter suscepit, causa Janseniana finita fuit. *Utinam et error aliquando finiatur!*

216. *Dico II.* Systēma Jansenii ostendunt quinque ejus propositiones sāpius dānnatā et earumdem principia ac fundāmentū.

Propositiones Jansenii sunt:

I. *Aliqua Dei praecepta hominibus justis, volentibus et conantibus secundum praesentes quas habent vires, sunt impossibilia: deest quoque iis gratia, qua possibilia fiant.* Habetur apud Jansenium L. 3. de Gr. Chr. c. 13.

II. *Interiori gratiae in statu naturae lapsae nunquam resistitur.* Sæpius repetita legitur in Libris Jansenii de Gratia Chr., maxime L. 2. c. 24. 25. 27. 32. etc.

III. *Ad merendum et demerendum in statu naturae lapsae non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione.* Extat in L. 4. de stat. nat. lapsæ c. 24. L. 6. de Gr. Chr. c. 4. et L. 8. c. 19. etc.

IV. *Semipelagiani admittebant prævenientis gratiae interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei: et in hoc erant haeretici, quod vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere vel obtenerare.* Pars 1^a. invenitur L. 7. de Pelag. haer. c. ult. et L. 8. ib. c. 6. etc. 2^a. cod. L. 8. c. 8. et L. 2. de Gr. Chr. c. 15. alibique.

V. *Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse aut sanguinem fudisse.* Legitur L. 3. de Gr. Christi, cuius c. 21. totum eo spectat.

Principia systematis Janseniani sunt: I. Voluntas humana per peccatum primi hominis liberum amisit arbitrium, h. e. vim sese flectendi pro suo nutu ad opposita. Hoc sæpius, sed maxime L. 2. de Gr. Chr. c. 3. et 12. inculcat Jansenius. II. Loco liberi arbitrii duplex successit delectatio: terrena scilicet, quæ ad malum; et coelestis, quæ ad bonum impellit. Patet id ex Jansenii L. 2. de Gr. Chr. c. 3. item L. 5. et 7. c. 3. III. Delectationes hæc agunt per gradus in invicem; ita ut superior semper vincat inferiorem. Ita Jansen. L. 8. de Gr. Chr. c. 2. et 6. IV. Voluntas non solum semper, sed et necessario sequitur majoris delectationis impulsus. Liquet ex loc. proxime cit. et illo S. AUGUSTINI a Jansenio toties decantato: *Secundum id operemur necessum est, quod amplius nos delectat.* V. Necessitas hæc non est absoluta, sed relativa, h. e., in presentibus circumstantiis, seu dominante ad unum delectatione, voluntas non potest hic et nunc aliter agere; licet possit in aliis circumstantiis, si nempe aut ista delectatio imminueretur, aut opposita augeretur. 1^{um}. membrum explicationis legitur L. 2. de Gr. Chr. c. 4. etc. 2^{um}. vero L. 2. de Gr. Chr. c. 17. et L. 3. c. 13. etc.

Fundamentum denique totius systematis Janseniani in delectatione superiore seu relative victrici consistit. Liquet id tum ex ipso Jansenio, qui L. 7. de Gr. Chr. c. 6. de superiori delectatione loquens: *Hoc est, inquit: vera et genuina basis doctrinae caelestis Doctoris, nempe S. AUGUSTINI... huic veluti cardini innititur, eoque subtracto eam tueri impossibile est;* quibus similia repetit L. de Gr. primi hominis et angelorum c. 17. etc.: tum ex demonstratione, quam Tournely methodo geometrica ad deducendas ex hoc fonte ac radice propositiones Jansenianas adornat. Ponit enim hæc ex Jansenio supra citato:

Axiomata. 1^{um}. Omnis voluntatis virtus sese flectendi et determinandi sive ad bonum sive ad malum oritur in praesenti statu a delectationibus. 2^{um}. Vis agendi delectationum relativa est, seu repetitur a superioritate in gradibus, adeo ut delectatio gradibus superior etiam dicenda sit superior viribus: ac proinde delectatio superior inferiorem necessario vincit; inferior autem non habet satis virium, nec vim agendi relative proportionatam superiori debellandæ.

Theoremata. 1^{um}. Gratia victrix Jansenii, seu superior delectatio celestis necessitat ad bonum. Prob. Ex axiomate primo voluntas nunc omnes vires suas sive ad bonum sive ad malum habet a delectationibus: ex secundo autem delectatio inferior non habet vires sufficientes vincendae delectationi superiori, imo ab illa necessario vincitur; ergo. 2^{um}. Concupiscentia victrix, seu delectatio terrena superior necessitat ad malum. Prob. simili ratione, qua theorema prius. 3^{um}. Nulla datur gratia vere et pure sufficiens: seu omnis gratia vere sufficiens re ipsa est relative victrix et efficax. Prob. Gratiae delectatio vel est superior delectatione concupiscentiae, vel inferior: si primum; necessario rapit plenum ac perfectum voluntatis consensum juxta theorema primum; sique pure sufficiens non est, sed efficax: si secundum; non habet satis virium ad debellandam superiorem concupiscentiam juxta axioma secundum, sique non erit vere sufficiens. Ex his tanquam

Corollaria deducuntur Jansenii propositiones: I. *Aliqua Dei praecepta hominibus justis volentibus etc.* Prob. Mandata iis sunt impossibilia, secundum praesentes quas habent vires, quibus deest gratia vere sufficiens. Atqui justis nonnunquam, tametsi velint et conentur, deest gratia vere sufficiens; quia justi illi quandoque peccant, adeoque carent gratia efficaci: distincta autem gratia sufficiens ab efficaci non datur ex theoremate tertio; ergo.

II. *Interiori gratiae in statu naturae lapsae nunquam resistitur.* Prob. Resistere gratiae est eam frustrari effectu, quem possit habere iis in circumstantiis, in quibus datur; ut alibi probatum est ei probabitur. Atqui hujusmodi effectu gratia privari nequit. Vel enim est superior; et tunc necessario habet effectum ex theoremate primo: vel est inferior; et necessario carebit effectu, videlicet reluctantie concupiscentia superiore, quæ voluntatem ad malum necessitat ex theoremate secundo: vel est æqualis; tunc alternante, ut ait Jansenius, *delectationum fluctu, in medio remanebit,* nec voluntas ex defectu superioris delectationis ad unam partem se inclinare potest; ergo.

III. *Ad merendum vel demerendum non requiritur libertas à necessitate etc.* Prob. Homo in statu naturae lapsæ per superiorem gratiae delectationem necessitatur ad bonum, et per superiorem concupiscentiae delectationem ad malum ex theoremate primo et secundo. Atqui homo operando bonum meretur, operando malum demeretur; ergo necessitatur ad merendum; et sic ad id non requiritur libertas a necessitate: et sic de demerito loquendum.

IV. *Semipelagiani... in hoc erant haeretici, quod vellent eam gratiam esse etc.* Prob. Semipelagiani in hoc erant haeretici, quod negarent veram gratiam Christi. Porro nulla est vera gratia Christi, nisi sit vere sufficiens; nulla est vere sufficiens, nisi sit efficax, ex theoremate tertio; nulla efficax, nisi necessitet ex theoremate primo. Sequitur ergo Semipelagianos in eo fuisse haereticos, quod assererent gratiam esse talem, cui voluntas posset resistere vel obtemperare.

V. Semipelagianum est dicere Christum pro omnibus mortuum etc. Prob. ex corollario precedente. Semipelagianum est asserere veram Christi gratiam esse talem, cui voluntas possit resistere vel obtemperare. Sed qui asserunt Christum mortuum pro omnibus, ii necessario admittunt tales Christi gratias; cum, qui damnantur, gratiae Christi resistant; ergo.

217. Dico III. Sententiae contra Jansenii librum et dogmata, ac Jansenistarum effugia, a Summis Pontificibus latæ fuerunt Bullis ac Brevibus;

URBANUS VIII. in Bulla, *In eminenti*, librum Jansenii proscribens hanc addit rationem: *Eo quod ex diligenti ac matura ejusdem libri lectione compertum fuerit, in eodem libro multas ex propositionibus a predecessoribus nostris damnatas contineri, et magno cum Catholicorum scandalo et auctoritatis sancta Sedis contemptu, contra prefatas damnationes et prohibitions defendi.*

INNOCENTIUS X. in Bulla, *Cum occasione impressionis libri*, §. 4. sententiam de singulis Jansenii propositionibus enuntiat his verbis: *Primam prædictarum propositionum « Aliqua Dei precepta hominibus justis volentibus et conantibus, secundum præsentes quas habent vires, sunt impossibilia; deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant temerariam, impiam, blasphemam, anathemate dannatam, et hæreticam declaramus et uti talem damnamus.*

Secundam « Interiori gratie in statu nature lapsæ nunquam resistitur » hæreticam declaramus, et uti talem damnamus.

Tertiā « Ad merendum et demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione » hæreticam declaramus, et uti talem damnamus.

Quartam « Semipelagiani admittebant prævenientis gratiae interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei, et in hoc erant hæretici, quod vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere vel obtemperare » falsam et hæreticam declaramus, et uti talem damnamus.

*Quintam « Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse » falsam, temerariam, scandalosam, et intellectam eo sensu, ut *Christus pro salute duntaxat prædestinorum mortuis sit; impiam, blasphemam, contumeliosam, divinæ pietati derogantem, et hæreticam declaramus, et uti talem damnamus.**

Mandat deinde PONTIFEX omnibus Christi fidelibus, ne de dictis propositionibus sentire, docere, prædicare aliter præsumant, sub censuris et poenitentiis contra hæreticos et eorum fautores. Precepto de eadem re Præsulibus et Inquisitoribus dato, tandem concludit: *Non intendentes tamen per hanc declarationem et definitionem, super prædictis quinque propositionibus factam, approbare ullatenus alias opiniones; que continentur in prædicto libro Cornelii Jansenii.*

ALEXANDER VII. in Bulla, *Cum ad sanctam B. Petri Sedem, effugia Janseniorum ex Actis sub INNOCENTIO X., quibus ipse præsens aderat, refellens, et ejusdem Constitutionem confirmans ac innovans, hæc postea addit: Quinque illas propositiones ex libro præmemorati Cornelii Jansenii Episcopi Ipnensis, cui titulus est: AUGUSTINUS, excerptas, ac in sensu ab eodem Cornelio Jansenio intento damnatas fuisse, definimus et declaramus, ac uti tales,*

ininsta scilicet eadem singulis nota, que in prædicta declaratione et definitione unicuique illarum sigillatim inuritur, iterum damnamus.

CLEMENS XI. tandem in Bulla *Vineam Domini Sabaoth*, occursurus reliquis Jansenianorum usurpatis subterfugiis, fraudibus et cavillationibus, de iis sic conqueritur, quod *inquieti homines variis distinctionibus, seu potius effugis ad circumventionem erroris excogitatis, Ecclesiam turbent.*

Deinde innovat atque confirmat Constitutiones INNOC. X. et ALEX. VII., quibus, qualis obedientia sit exhibenda, et qua mente formulario sit subscribendum, ita declarans, *Ut omnes, inquit, Catholice Ecclesie filii Ecclesiam ipsam audire, non tacendo solum (nam et impii in tenebris conticescunt), sed interius obsequendo, que vera est orthodoxi hominis obedientia, condiscant. Tum decernit, obedientia, quea præinsertis Apostolicis Constitutionibus debetur, obsequioso illo silentio minime satisferi: sed datum in quinque præfatis propositionibus Janseniani libri sensum, quem illarum verba præ se ferunt, ut præfertur, ab omnibus Christi fidelibus, ut hæreticum, non ore solum, sed et corde rejici ac damnari debere, nec alia mente, animo, aut crudelitate supradictæ formulæ subscribi licite posse.*

Denique CLEMENTIS IX. mentem exponens, eos severe perstringit, qui ejusdem Brevia in sui erroris patrocinium advolare præsumunt: *Perinde ac si, inquit, memoratus Clemens predecessor, qui eisdem suis litteris se Innoc. X. et Alex. VII. predecessorum Constitutionibus firmissime inhærente, ne a dictis quatuor Episcopis veram et totalem obsequiam, adeoque formulæ a præfato Alexandro editæ, sincere per eos subscribi voluisse declaravit, aliquam in tam gravi negotio exceptionem seu restrictionem, quam nullam prorsus se nunquam admissurum fuisse protestatus fuit, re ipsa admisisset.*

218. Observa. Evidem integrum Jansenii opus, teste Bossuet, recte dicitur contineri in quinque propositionibus famosis; ex recitatis tamen numero præced. URBANI verbis et conclusione Bullæ Innocentiane non leve argumentum extat, plures etiam errores in eo libro haberi: atque hinc Stephanus de Champs S. J. in suo de heresi Janseniana ab Apostolica Sede merito proscripta opere, duos adhuc errores de necessitate peccandi et ignorantia invincibili addit, vel enucleatius proponit. Opus hoc eximium in tres libros despescitur, quorum 1^o. Jansenius hæreticorum *plagiarius* proponitur: 2^o. Jansenius cum hæreticis *damnatus* evincitur: 3^o. Jansenius hæreticorum exemplo S. AUGUSTINI Patrumque *corruptor* demonstratur; que tria Auctor ille ita probavit, ut, quantumvis Jansenistæ alias lingua calamoque prompti immumeros prope ediderint libellos apologeticos, illud tamen opus nullus adhuc eorum impugnandum, nedum refutandum suscepit.

Plures etiam numerari possent errores, si, que falsa dogmata ex Jansenii doctrina ejus sectarii desumpta postmodum sparserunt, addere liberet. Certe propositiones triginta et una, quas ALEXANDER VIII. die 7. decembr. an. 1690. confixit, facile quis Jansenianæ doctrinæ corollaria dixerit, cum pleraque a Jansenistis vel assumptæ vel effuse fuerint. Ut quis tamen Jansenista nuncupari debeat aut queat, non cujuscumque Janseniani erroris defensio aut adoptatio sufficit; prohibuit enim INNOC. XII. in Brevi an. 1694. ad quosdam Belgij Episcopos directo, ne ulla ratione quemquam vaga ista